

## Die Urkunden Karls des Großen, 116

(C.) Carolus gratia dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum. Quicquid enim ob amore domini et oportunitate servorum dei locis venerabilibus concedimus, hoc nobis ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Quapropter conpertum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, qualiter donamus ad monasterium Fulda, quod est in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli in pago Graffelt constructum, ubi preciosum corpus Bonefacii martyris requiescit, quem vir venerabilis Sturmio abba in regimine habere videtur, id sunt res proprietatis nostrae Hamalumburg situm in pago Salecgauiio super fluvio Sala cum omne integritate vel adiecenciis seu apendiciis suis Achynebach, Thyupfbach, Harital, hoc est quantumcumque in superius nominata loca habere videmini, id est tam terris domibus aedificiis acolabus mancipiis vineis silvis campis pratis pascuis aquis aquarumve decursibus mobilibus et inmovilibus, omnia et ex omnibus, ad prefatum sanctum locum tradidimus perpetualiter ad possidendum. Propterea hanc preceptionem auctoritatis nostrae conscribere iussimus, ut ab hac die tam memoratus Sturmio abba quamque sui successoris, qui fuerint rectoris eiusdem sancti loci, predictis rebus ad opus iam dicte aecclesiae habeant, teneant adque possideant et quicquid exinde ad profectum ipsius sancti loci facere elegerint, liberum perfruantur arbitrium; et nullus quislibet de iudiciaria potestate aut qualibet persona predicto Sturmioni abbati neque actoribus aut successoribusque suis de memoratis rebus inquietare vel calumniam generare quoque tempore non presumat, sed per nostrum preceptum iure hoc valeant possidere firmissimum, quatenus melius delectet ipsa congregazione pro nobis vel stabilitate regni nostri etiam uxore et prolis domini misericordiam iugiter exorare. Et ut haec auctoritas firmior sit, manus nostre signaculis subter eam decrevimus roborare et de anolo nostro iussimus siggillare.

Signum (MF.) Caroli gloriosissimi regis.

(C.) Uuigbaldus advicem Radoni (SR. NT.: domno rege ordinante Uuihbaldus recognovi).  
(SI. 1.)

Data septimo idus ianuaris anno nono et tertio regni nostri; actum Haristalio palatio publicae; in dei nomine feliciter.